

STAM. *Filamenta* quatuor, tenuissima, brevia, quorum duo invicem propius approximata. *Antheræ* magnæ, cordato-oblongæ, erectæ, corolla paulo breviora.

PIST. *Germe*n parvum, subrotundum, compressum, apice sursum sericeo-pilosum, pilis longiusculis. *Stylus* staminum longitudine, cylindricus, brevis, pilis Germinis totus obtektus: *Stigma* capitatum, depressum, simplex.

PER. *Capsula* subrotunda, compressa, biventricosa, lateribus acutis, utrinque medio sulco impresso (Veroniæ omnino), bilocularis: Receptaculo seminum implente fere loculos, unde feminum unum simplex stratum.

SEM. nonnulla, subrotundo-oblonga, hinc convexa, inde plana, nigra.

Flos omnium minimus, vix nudo oculo examinandus, hinc numerus Staminum difficulter eruitur.

Mihi tamen constat ex pluribus examini subjectis hunc quaternarium esse, ideoque ad Cl. Didynamia perlinere, licet Stamina duo vix notabiliter longiora, quod etiam videre est in Limosella.

Petali lacinia sibi externe incumbunt, margine dextro supra sinistrum s. contra motum solis.

OROBANCHE.

85. **OROBANCHE** *major* caule simpliciter, bracteis lanceolatis flore majoribus.

Orobanche flore minore. *Tournef. inst.* 170?

Habitat supra radices Ulmorum in horto regio ad Aranjuez.

Radix brevis, fibrosa, ex basi caulium tuberosa, interdum plures jungens caules.

Caulis simplex, rectus, spithamali-pedalis, teres, leviter pubescens.

Folia nulla, nisi squamæ lanceolatæ, acutæ, alternæ, sparsæ.

Flores in spica rara, terminali, caulis medium superius occupante.

Bractea lanceolato-acutæ, corollæ longitudine.